

## SECTIO I.

## §. I.

QVod attinet ad præjudicia practica I. VOLVPTATIS, quæ pro fundamento ac principio conclusionum carnem habent speciatim sic dictam, & circa Theologiam *Positivam* versantur, ea imprimis tangunt doctrinam de Deo, de beatitudine æterna, damnatione æterna, de peccatis & poenitentia.

## §. II.

Præjudicia practica, quæ circa Deum occupantur, huc redeunt, quod homines sibi falsos impurosque de Deo forment conceptus, inclinationi suæ accommodatos, dum v. g. putant:

1. Deum esse benignum & misericordem, qui peccatoribus quantumvis in peccato perseverantibus, facile peccata condonet; neque simul de justitia ejus cogitant & zelo, qui peccatores consumit. Conf. *Sir. V, 6. 7. Ps. V, 5. sqq.*

2. Neque Deum omnes hominum actiones tam accurate sub examen vocare, aut ad eas attendere (er nehme es so genau nicht.) Cum tamen Deus non solum sit omniscius & scrutator cordium, sed etiam omnium operum, imo quod maximum est, etiam verborum & cogitationum rationem exigat, *Ps. XCIV, 7. sqq. Matth. XII, 36. 1. Cor. IV, 5.*

3. Deum non facile punire peccatum, (es wiederfahre einem ja drum doch nichts Böses) cum tam multa prostent exempla, quod impiis non solum nihil mali acciderit, sed etiam semper bene sit. Verum partim in contrarium permulta præsto sunt exempla, quæ infelicem impiorum demonstrant exitum; vid. *Ps. LXXIII, 17. sqq.* partim respondere licet cum Apostolo *Rom. II, 4. sqq.* longanimitatem divinam tales homines ad poenitentiam ducere. Confer. *Sir. V, 4. 5.*

B

§. III.